

quod hominem magis deformet, magisque ridiculum faciat, quam hoc vitium, veluti si quis pauper studiosus, vel alius inferioris fortis homo, digitos auro ornat, inque aliis gestibus elegantiae modum excedit, quo vitio maximè laborare solent insolentes & stolidæ mulieres, quæ ut speciosiores appareant, aliisque magis placeant, ultra naturam sapere, & fucatas facies ostendere solent, cuius rei exemplum habemus in Isabele, uxore Achabi, 2. Regum 9. versu 30. quæ fuso studebat placere Jehu. **Vitium** hoc in stolidis adolescentibus, quos Hasiones vocamus, **N.** nimis invaluit. Festivè Diogenes Cynicus cuidam habenti capillos unguento delibutos, Gave, inquit, ne capit is suaveolentia adducat vitæ malevolentiam, οὐδεία δυσωδίαν. Unguentum enim in viro arguit vitæ mollitiem. Et Plautus ait: *Mulier tunc bene olet, quum nihil olet.* Confer 1. Pet. 3. vers. 3. & seqq. item Esaiae 3. vers. 16. & seqq. 1. Timoth. 2. versu 9. & 10. &c. Videatur Philipp. Camerarius in operis horarum successivarum, part. 1. cap. 10. Diogenes adolescenti ad speculum sese ornanti, ἀπυχεῖς, inquit, καὶ ἀδικεῖς; illud propter masculos, quibus frustra sese ornabar adolescentis, hoc propter fœminas, quibus falsâ compturâ fraudem moliebatur.

Civilitati in defectu opponitur Incivilitas, quâ homo in externo corporis habitu, gestu & motu, ineleganter & indecorè se gerit.

S C H O L. Aliâs *immundicies* dicitur, item *rusticitas*, quâ nulla in moribus elegantia observatur, ut in illo disticho canit Poëta de quodam Urbano:

*Diceris Urbanus, sed non urbanus haberis,
Dum ceu vacca bibis, dum suis instar edis.*

Sed quid de illo Ovidii: *Forma viros neglecta decet?*

Resp. Loquitur Poëta de forma affectata, quæ recte negligitur, de civili & moderata non item.

*Forma alia
est affectata
alia moderata
& civilis.*